

FAB. II. FLEVIT AMANS &amp;c.

De Scylla in saxum.

FAB. III. HVNC VBI &amp;c.

De Cercopibus in simias.

*Significat Pythecusanos fuisse astutos & fraudulentos. Cercopes Nam apud Athenienses olim impostores & dolosi dicebantur Cercopes, quasi caudati, metaphora sumpta ab animalibus, quæ cauda blandiuntur.*

FAB. IV. HAS VBI &amp;c.

De Sibylla in vocem.

*Aureus ramus, qui ad Elysium campum tendentibus est necessarius, explicatur à Baptista Mantuano, & exponitur allegoricè de fide seu fiducia in Deum, sine qua nemini contingit introire in æternam vitam. Hunc verò ramum ait aureum rectè appellari, eo quod auri substantia sit præcipua & incorruptibilis, & rectè (quemadmodum Sibylla apud Virgilium docet) occultari in magno nemore, nam inter diversas sectas & hominum opiniones delitescere fidei sapientiam, quasi arborem in nemore amplissimo: nec inveniri, nisi monstrante Sibylla, hoc est, Dei voluntate nobis revelata per Prophetas, invento hoc ramo & servato, nos per tenebras ac difficultates humanæ vitæ ambulantes tandem pervenire ad sedem beatorum.*

*Ab hac theologica allegoria non multum discrepat expositio Marcelli Palingeni, qui per eundem ramum intelligit veritatem, atq; ita inquit:*

Non cuivis facile est ipsum cognoscere verum.  
Hic est ille ramus, medium quem maxima silvæ  
Arboribus densis cinctum atque erroribus atris  
Obductum cælat, nec multis aurea virga  
Conspicitur, nisi cui puræ ostendere columbæ.

Si mea